



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici, Miscellaneorum Observationum Libri quatuor**

**Petit, Pierre**

**Trajecti ad Rhenum, 1682**

Cap. XXV. Locus Terentii expensus & scrupulus ex eo sublatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13245**

## CAPUT XXV.

*Locus Terentii expensus & scrupulus ex eo sublatus.*



*H*ic Bacchidem meretricem *Hecyra* act. 5. scen. 1. sic loquentem inducit,

*Ego pol quoque etiam timida sum, cum venit mihi in mentem, quæ sim,*

*Ne nomen mihi quæstus obstet apud te: nam mores facile tutor.*

In his verbis scrupulus; quomodo quæ se meretricem fateatur, & quæstum corpore faceret, *mores facile tutari* dicat. Sic demum hic scrupulus potest. mores non tam ex vivendi genere & statu præsentis alicujus, quam ex animi affectione & proposito æstimari debent: nam multis, quominus suo arbitrio vivant, fortuna obstat. In primis vero egestas plerisque feminis, quibus forma & ætas suppetit, ne sint pudicæ. Idque quædam apud eundem *Terentium* in *Andria* significat his verbis:

*Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides:*

*Nec clam te est, quam illi utraque res nunc utiles*

*Et ad pudicitiam, & tutandam ad rem sient.*

Ita quidem legunt viri docti *nunc utiles*. sed aliam lectionem boni codices habent; quam *Donatus* agnoscit & tenet, nempe *inutiles*, tametsi & *utiles* legi fatetur. utroque modo legatur, idem sensus est. nempe id significat parum prodesse mulieribus formam & ætatis florem ad tutandam pudicitiam, quibus non sit præsidium domi: hoc est obesse potius. Addit autem & ad rem tuendam; quia adolescentulæ non admodum rebus domesticis administrandis incumbunt, sed voluptatibus potius,

O 2

tius,

tius. Quid igitur si eadem sit formosa & egens? Idem Terentius in eadem fabula:

*Interea mulier quædam abhinc triennium  
Ex Andro commigravit huc viciniæ,  
Inopia & cognatorum negligentia  
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.*

Hac igitur necessitate multas ad quæstum prolabi constat; idque indicant meretriculæ ibidem: Critoni enim interroganti

*Quid vos? quo pacto hic? sat' ne recte?*

respondet Mysis:

*Nosne? sic*

*Ut quimus, ajunt; quando, ut volumus, non licet.*

Quod igitur quædam sint bono ingenio meretrices & meliore fortuna dignæ, testatur etiam *Aristanetus epistol. 12.* ubi Euemerum quendam sic ad Leucippum scribentem inducit, de suæ amicæ moribus: *Εὐφρόμαι τοῖς τρέποις εὖ μάλα συμπρέπει τῇ μορφῇ. Ἐταίρας μὲν γὰρ ἡ Πυθίας εἰληχε εἶον· ἀπλότητα δὲ σύμφυτον ἔχει, καὶ ἀμεμπτον ἡδὲ ἀπαντα τὴ τάξεως βελτίω ἔχει· καὶ ἀνὸν με μάλιστα ἤρηκε τῷ ἀκάκῳ.* Moribus quoque ejus delector, qui apprime forma congruunt. Nam Pythias quidem meretricis sortita est vitam: verum tamen ingenio est simplici, & inculpatis moribus. omnia habet meliora vitæ instituto: tum me in primis probitate sua fuci & malitia experte cepit. Eodem pertinent, quæ habet *Ludovicus Vives*, vir conjugatus quidem, sed tamen, ut ex scriptis ejus colligo, sanctiore vita, quam presbyteri multi & episcopi, scriptum reliquit in libro, *de Officio Mariti*: Inter has (inquit) meretrices non desunt, quæ probiore sunt ingenio & studioso magis honestatis: quæque ad flagitium fortassis impelluntur, nulla quidem necessitate (neque enim malefaciendi necessitas potest esse ulla) sed certe specie

*specie necessitatis aliqua; qua si carerent, non paucæ illarum vitam honestius instituerent.* Quæ sint autem probi & honesti ingenii signa in meretrice ibidem Bacchis ista ostendit: cum nihil ad fidem faciendam sanctius se habere dicit iusjurando. Hoc enim se piam & reverentem Deorum indicat; præterea cum se Pamphilum post nuptias segregatum habuisse sancte affirmat: quo se iustitiæ amantem & legibus subjectam declarat. Cum igitur non paucas tali ingenio præditas meretrices esse constet, non mirum videri debet, quod Christus in *Euangelio* denuntiet sacerdotibus & Pharisæis, fore ut publicani & meretrices eos præcedant in regno Dei; non omnes quidem, sed qui ex his naturali ingenii probitate & fide magis capaces veri inveniuntur. Non mirum item, si quidam non socordes viri atque etiam principes, ex impurato illo grege quasdam liberali forma & moribus non dubitarunt sibi matrimonio conglutinare, parum curantes stultam multorum verecundiam & superstitionem, qui ab his, ut pestilentibus & deploratæ atque insanabilis nequitiae vetero corruptis abhorrent. Ita censeo: ab eiusmodi mulierum commercio ab ineunte ætate semper alienus & abhorrens, si quis unquam.